

DISPUTATIO SECUNDA

Complectens explicationem Quæstionis:

An Deus posteris & filiis infligat pœnas, ob Majorum & parentum suorum flagitia?

habita

d. XII. Febr. M DC XVIII.

Respondente

GABRIELE Sibbern / Holfato.

TRANSITIO.



PRÆCEDENTI Disputatione vidimus, omnes homines esse peccato originali subjectos, quod etiam in ipsis infantibus sit *operosum*, dignumque Dei irâ & pœnis: consideremus jam, an homines non tantum ob sua, sed etiam *ob aliorum peccata à Deo puniantur.*

THESIS I.

QUIA enim Deus testatur, se unicuique juxta viam *suam*, & juxta fructum adinventionum *suarum* dare, Jerem. 17. v. 10. & 32. v. 19. & juxta opera *sua* reddere, Proverb. 24. v. 12. Psalm. 28. v. 4. & 62. v. 12. & 2. Paral. 6. v. 30. Apoc. 2. v. 23. & 22. v. 12. & ἀπὸ ἑσπολάης *judicare juxta cujusque opus*, 1. Pet. 1. v. 17. proinde homines quandoque secum disputant & colluctantur, *an Deus ob aliena etiam peccata, aliquibus incutiat supplicia?*

2. Videre id est in Judæis, qui in terrâ Israel hoc jactitarunt proverbium, dicentes: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt*, Ezech. 18. v. 2. & Jerem. 31. v. 29. hoc est, patres nostrâ peccaverunt, 1. Reg. 12. v. 28. & 14. v. 9. & 2. Reg. 21. v. 3. 5. 6. & 2. Paral. 33. v. 6. Jer. 15. v. 4. & nos iniquitates eorum portavimus, Thren. 5. v. 7.

3. Meritò enim peccatum uvæ acerbæ comparatur: quia reddit peccantium dentes stupidos, ut non possint ejus suavitatem sentire, de quo dicitur: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*, Psalm. 33. v. 9. Hieron. in cap. 31. Jerem. Tom. 5. p. 344. Scriptum est enim in proverbii cap. 10. v. 26. Sicut uva acerba dentibus noxia est, & fumes oculis, sic iniquitas his, qui utuntur eâ. Idem in cap. 18. Ezech. Tom. 5.